



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio LXXX. Christus crucifixus typus summæ mansuetudinis,
quem intueri debent, & imitari omnes veri Christiani.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



CONSIDERATIO XC.

Christus Crucifixus typus summæ mansuetudinis, quem intueri debent, & imitari omnes veri Christiani.

Cum malediceretur, non maledicebat: Cum pateretur, non comminabatur. 1. Petr. 2. 23.

I.

Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus; dicebat quon- psal. 131. 1.

dam David, ubi DEO T. O. M. templum magnificum ex voto voluit ædificare, quod exinde per Salomonem filium ejus completum est. Erat autem David, si oculos in illius virtutes conjicias, vir secundum cor Dei, & ingenio mansuetissimus. Saulem Regem hostem infensissimum considera, quem cum posset in spelunca Engaddi interficere, noluit in eum manum mittere: *Non extendam manum meam in Dominum meum, quia Christus Domi-* 1. Reg. 24. 11

ni est. Absolonem filium suum rebellem, à quo de throno suo ejectus erat, ducibus suis Joab, Abisai & Ethai præcepit, ut eum conservarent illæsum: *Servate mihi puerum Absalom.* Semei cognato Saulis maledicenti, & lapidibus impetenti ignovit, mandavitque ne Abisai eum interficeret: *Dimittite eum, ut maledicat &c.* Vide ex hoc, quomodo David eo 2. Reg. 18. 5.
2. Reg. 16. 10.
tempore, quo dolor facile iram solet commovere, illam passionem mansuetudine sua represserit. Plus Christus Filius David, & hic crucifixus: *Audiant mansueti, & latentur.* psal. 33. 3.

2. Audiamus perelegantem inter Davidem & Christum parallelum. 1. David ex tribu Juda in Bethlehem civitate natus est: Christus ex eadem regia stirpe & loco ortus. 2. David pulcher erat aspectu, rufus, ac rutilantibus oculis; In Christo divinitatis majestas elucebat in facie & ex oculis, Nicephorus ei tribuit oculos fulvos atque fulgentes. 3. David pascens oves, ursum ac leonem interfecit: Christus Pastor bonus leoni tartareo omnem vitam eripuit, ita ut nocere 1. Reg. 16. 12.
1. Reg. 17. 34.

Gmther Unus pro omnibus, U u non

2. Reg. 18. 5 non possit, nisi voluntariè ad ipsum accedentibus. 4. David beneficium fuit in omnes, etiam inimicos, quibus lubenti animo remisit injurias: Christus pertransiit benefaciendo, & sanans omnem languorem, ignoravitque omnibus etiam moriens in cruce. 5. David Goliathum baculo, fundâ & quinque lapidibus superavit: Christus baculo crucis & quinque SS. Vulneribus hostem infernalem devicit. 6. David trigésimo anno expleto Rex declaratus est; Christus trigésimo ætatis anno in baptismo Rex & Messias denuntiatus est. 7. David plurimas perpeffus est persecuciones, nunc à Saule, nunc ab aliis ad necem inquitus: Christus continuis Judæorum persecucionibus erat agitatus: Et quarebatur eum interficere. 8. David in luctu & exilio montem Olivarum ascendit, flets, ac nudis pedibus incedens: Christus in luctu instante morte ad eundem Oliveti montem se contulit, ubi sanguineis lacrymis nostra peccata deploravit. 9. David mansuetudini suæ acceptum fert regnum, gloriam & felicitatem, unde dixit: *Mansuetudo mea multiplicavit me*, quod & Saul licet hostis infensissimus agnovit; cum enim David ei pepercisset in spelunca Engaddi, audiente exercitu exclamavit: *Nunc scio, quod certissimè regnaturus sis, & habiturus in manu tua regnum Israel*. Sacratissimum cor JESU erat mansuetudine plenum, hinc dixit, *Matth. 11. 29 Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*. O quàm mitis, o quàm mansuetus Rex per omnem vitam ac præsertim in cruce! Cùm JESUS, ait S. Bernhardus, *in summa crucis esset amaritudino, nihil exivit de ejus corde, nisi dulcedo*. Audiant mansueti, & lætentur, se talem habere ducem & antesignanum.
3. Finito diluvio DEUS iridem perlucidam in superiori aëris regione posuit, ut esset signum fœderis, pacis & reconciliationis inter DEUM & hominem: *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me & inter terram*. Arcus iste, ait Hieremias Drexelius de Christo patiente, præsignavit crucifixum JESUM, expansis brachiis, adinstar arcus interens, in ligno crucis pendentem, ubi non misit fulgura ac tonitrua in miseros mortales, sed pacis ac reconciliationis signum ipse in aëre suspensus esse voluit. O summam crucifixi Domini nostri mansuetudinem!
- Unde S. Joannes thronum Dei vidit irride circumdatum, hoc est, mansuetudine & misericordiâ.
4. Ubi Agnus ille Paschalis ex mandato Dei per Moysen & universum populum DEO fuit immolatus: *Tollat unusquisque agnum per familias & domos suas*; Pharaon Ægyptiorum Rex hætenus in populum Israeliticum durissimus, & ex cæde primigenitorum perterritus, cepit nonnihil mansuefcere, ac liberum exitum Hebræis permittere; unde à Moysè & Aarone, quos de nocte ad se vocavit, benedictionem petiit:

Aben-

Abeuntes benedicite mihi. Textus Chald. habet: *Orate pro me.* Quæres hic quomodo tandem cor tam durum Pharaonis tam subito potuit immutari? Unde, obsecro, *bestia tam ferox mansuesacta est*, ait Rupertus Abbas, & respondet: *Unâ Agni præsentia, per immolationem agni Pharaeo quondam superatus est, & Israelitarum servitus soluta.* Quid autem mansuetius agno? Et nunquid de Christo vaticinatus est Propheta: *Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum?* Jerem. 53. 7.

Expende hic anime mi, summam pientissimi Jesu tui mansuetudinem. Vix natus orbi licet inimicissimo se ostendit mansuetissimum, dum pacem universalem illi intimari iussit. Cum Apostolis licet simplicibus ac imperitis summa cum mansuetudine ac modestia conversatus est. Peccata infensissimorum inimicorum, à quibus atrocissimas accipiebat injurias, patientissimè toleravit. Judæ traditori reciprocum amicitiaæ osculum præbuit, & ultrò ad se capiendum hostibus benignè obtulit. Annæ Pontifici insidiosè interroganti, licet dirâ alapâ fuerit percussus, mansuetè respondit. In ædibus Caiphæ illam quoque mansuetudinem in omnibus pœnis ac illusionibus exhibuit. Sic & coram Judice Romano & Herode, in flagellatione & coronatione, in crucis bajulatione ac in ipsa crucifixione, ah quàm acerbâ, nec os contra inimicos aperuit, quos tamen uno nutu ad inferni barathrum potuisset deturbare, unde prius dixit: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Matth. 11. 29. DEus bone, ubi nostra mansuetudo? Audi Mellifluum: *Fla. S. Bernh. de gellis casus, spinis coronatus, clavis consossus, affixus patibulo, opprobriis saturatus, Chr. pat. omnium tamen dolorum immemor, hoc tantum dixit: Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt.* Quis hæc attentè considerans non admiretur tantam actam perfectam Christi mansuetudinem? Quis non omni amore & honore prosequatur tam benignum ac mansuetum Dominum? Quis non proponat omnem iracundiam, indignationem, animique amaritudinem penitus exuere, & induere viscera misericordiæ?

5. Recordor hic illius cæci nati, quem Christus in die Sabbati illuminavit, dum lutum ex sputo fecit, & super illius linivit oculos: *Vade, lava in natatoria Siloë (quod interpretatur Missus)* Et quid sequitur? Jo. 9. 7. *Abiit ergo, & lavit, & venit v. dens.* Quares hic, quare benignus Dominus hunc cæcum illuminaturus, eum ad fontem Siloë ablegaverit?

8. Cornelius & alii, quia Siloë erat typus Christi, ille enim erat *Missus à Patre*, ut mundum cæcum illuminaret, ac deperditum repararet: *Aqua autem Siloë*, ait Isaias Propheta, *vadunt cum silentio, & mites sunt, & per canales subterraneos ad Regum disponuntur hortos.* Isa. 8. 6. Christus mitissimus siluit usque ad annum ætatis trigesimum, ac præsertim

tempore passionis vadebat cum silentio: Cùm enim reus capitis ageretur, Math. 26. 93. siluit, ne humani generis impediret redemptionem: *Jesus autem tacebat, unde Climacus: Jesu silentium admirationi & reverentia Pilato fuit. Rursum Christus est Siloë, id est, fons aquæ salientis in vitam æternam. O Christiani! venite omnes ad hunc gratiarum fontem in Calvario monte pro salute omnium scaturientem: Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Ita vidit, & experta est S. Francisca Romana, Virginum, conjugatarum, viduarum & religiosarum exemplar, Christo crucifixo & dolorosæ Matri ejus ac sancto Angelo suo tutelari familiarissima; quæ subinde in Eucharistico tabernaculo agnum vidit nive candidiorem, & cor illius vulneratum, ex quo lux mira, & simul fons promanabat, auditâ hac voce divinâ: *Qui sitit, veniat ad me, & bibat.* Audiant hoc mansueti, & latentur.

6. Mansuetudinem Moysis attendit DEUS, de quo Scriptura: *Erant Num. 12. 3. Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra, unde tam potens erat apud DEUM, ut vel invitum cogeret parcere populo suo, ejusque ligaret manus, cùm jam extento brachio vellet inferre plagam.* Exod. 32. 10. *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos; Moyses autem constanter orabat pro salute populi, & quid sequitur? Placatusque est Dominus, ne deleret populum, ut destinaverat.*

Pendente mansuetissimo Domino in cruce omnis creatura conspirabat in perniciem hominis peccatoris, & quia superfluens delictorum mensura clamabat vindictam, DEUS Pater illi populo sceleratissimo jam intentabat exterminium: *Terra mora est &c.* Et quid hic DEI Filius in summis tormentis? *Pater dimitte eis.* Observa: *Pater dixit, ut cor Patris iratum ad mansuetudinem flecteret: Et exauditus est pro sua reverentia. Esto mansuetus.*

